



**R. P. Maximiliani Sandæi E Societ. Iesv Doct. Theol.
Paradisvs Amantium, Colentium, Imitantium Christvm
Crvcifixvm**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae, 1648

6. Collocat Crucem & Crucifixum loco maximè honorate.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55065)

12 CHRISTVS CRUCIFIXVS

enim videret, placere cœlesti Patri, vt vitam pro mortalibus per CRVCIS supplicium profunderet, vltro se ad eam sic ponendam obstrinxisse.

*Voluntas
Dei Patris
mandatū.*

Hanc DEI Patris voluntatem mandatum vocat DEI Filius: *Sicut mandatū dedit mihi Pater, sic facio.* d: Et de voto sonora voce cecinit Cantor regius in persona Christi: *Vota mea Domino reddam.* e. Sed quid clarius interpretatione Pauli Apostoli, cui haud dubiè mens Christi fuit perspecta: f. *Ideo ingrediens in mundum dixit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem apstisti mihi: holocaustum & pro peccato non postulasti. Tunc dixi, ecce venio.* Ita de Christi voto sentiunt S. Augustinus, Hieronymus, Theodoretus, Basilus.

a. *Frane. Suarez, Tom. 2. in 3. p. q. 28. Sect. 2. b. Psalm. 21. c. 10. Masellus in Vita B. V. lib. 3. cap. 19. d. Ioann. 10. e. Psalm. 115. f. ad Hebr. 10.*

VI.

AMATOR CRUCIFIXI

*collocat Crucem & Crucifixum
loco maxime honorato.*

NES-

NESCIO, an CRVCIS magis honorem, qui olim à fidelibus illi deferrebat, quàm SACRO-SANCTÆ Eucharistiæ spectet, quod sancitum fuit in Cōcilio Turonensi secundo, Canone de asseruatione Sanctissimæ Eucharistiæ: ad vtriusque sanè peculiarem cultum pertinere potest Sic decernitur à Sanctis Episcopis in illo Canone.

Ut Corpus Domini in altari, non imaginario ordine, sed sub CRVCIS titulo componatur. Nempe, ut digniorem sibi vendicaret locum, inquit Cæsar Baronius, statutum est, ut non inter sacras imagines super altari poni solitas, poneretur, sed sub ipsâ CRUCE, quæ in mediū illius altaris collocari consuevit: nimirū, loco dignissimo. Scimus intra Columbam argenteā alicubi ijs tēporibus cōseruari cōsueuisse Eucharistiā, quod Synodus prohibuisse videri potest, dū prohibet ne in imaginario collocaretur ordine.

Voluit autē constitui in loco excellentissimo, quē indicauit esse super altare, sub Sacratissimâ CRUCE, in preciosissimo tabernaculo turris instar fabrefacto: qualem curauit fieri eo tempore Felix Episcopus Bituricensis, qui Synodo illi Turonensi interfuit, ad quem scripsit carmen Venantius Fortunatus, hoc titulo.

A 7

Ad

Crucis lo-
cus.Euchari-
stia asser-
uatio.Columba
argentea
Euchari-
stia rece-
ptaculum.Taberna-
culum Eu-
charisticū.Turricula.
Felix Bi-
turicensis.

14 CHRISTVS CRVCFIXVS

Ad Felicem Episcopum Bituricen-
sem, in Turrim eius.

*Quam benè iuncta decens, sacra ti ut corporis Agni
Margaritum ingens aurea dona ferant?
Cecent Chrysolitis Salomonia vasa metalli;
Ista placere magis ars facit atque fides.
Quæ data Christe, Tibi Felicis munere sic sint,
Qualia tunc tribuit de grege Pastor Abel,
Et cuius Tu corda vides pietate coequas,
Par vidua merito qua dedit ora duo.*

Est autem verosimile etiam, in fasti-
gio Turricula illius argenteæ vel aureæ,
fuisse CRVCEM affabrè factam, vti hisce
quoque temporibus in omnibus istius-
modi tabernaculis Eucharisticis. Sic
semper ab Amatoribus CRVCFIXI
honoratissimus locus fuit assignatus
CRVCI.

2. Baron. Tom. 7. Anno Christi 570. Con-
cil. Turon 2 c. 2.

VII.

AMATOR CRVCFIXI

*Crucis loco, hominem agrum aut paupe-
rem baiulat.*

S. EDV-
ARDVS
baiulat
pauperem
agrum.

EXEMPLVM eius baiulationis, quæ
DEO æquè est grata ac CRVCIS ma-
terialis, immò gratior multò, est præ-
clarum, quod Reges prouocet ad imi-
tationem.